

Choliambica inscriptio latina.

Tam rari sunt in titulis latinis claudi senarii, ut in musei huius volumine XXVII p. 142 sq. cum eos conlectos proponerem, quattuor tantum inscriptiones mihi in promptu fuerint, tres in Latio et Campania factae, una et admodum rudis ad Rhenum. quibus quinta nuper accessit in agro Aquileiensi eruta et a Gregoruttio, qui antea inventos Aquileiae lapides in libro satis amplo composuerat, edita in *Archeografo Triestino* N. S. IV (a. 1876 et 1877) p. 395 n. 14:

*Alexandream | quisque noveras, | quaeso,
lege pauca verb(a), | paululum et dolens vad(e), |
aut nil dolcto: nil mali est, | ubi nil est, |
laboris es]t, ut occubas, t[ibi finis.*

scriptor epitaphii quia nomen puellae male convenire choliambis, immo si iusta servaretur caesura prorsus officere sensit, in primo versu legem metri non veritus est migrare iambique loco posuit spondeum in sede secunda. similiter Catus Sabinus in trochaeos graecanicos (anth. epigr. spec. III p. 12 n. 12) *Euandreo* intulit pro epitrito. in versu tertio *ubi nihil est* lapis exhibet. extremi versus sententiam non puto dubiam, verba utrum illa fuerint an haec *et tutus est — tibi portus aut finita sunt — tibi cuncta* aut quae alia, nemo decernat, cum praesertim de ambitu lacunae certum dicere non liceat, videntur autem eius versiculi principio non plus septem aut octo litterae deesse. *quisque* pro *quisquis* frequens est in titulis, nec tamen postquam optumae aetatis consuetudine antiquatum est, denuo increbruit nisi post Hadriani tempora. hoc monumentum Antonino Pio imperante factum esse ex sculptura exili et accurata editor collegit. qui quod mimam fuisse celebrem et claram Alexandream adfirmat, vereor ne plus ex primis verbis notitiae eliciat quam scriptor inesse voluit. at infans fuit aut puella, si quidem maiorum natu tumulos Latini non inveniuntur notasse choliambis.